



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. 1. Figuræ, & laudes.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

TITULUS XI. MATRIMONIUM.

§. I.

Matrimonii figura & laudes.

Solem, & Lunam, adorare me. Gen. 37. 9. S. Ambros. l. de Joseph c. 2. probat puerum Jesum adoratum à Joseph & Maria; ex illo Pf. 148. 3. *Laudate eum sol, & luna*: solis instar est Joseph, Lunæ vicem gerit Maria: sicut enim sol terram, ita pater calefacit, fovetque familiam: sicut luna lumen mutuatur à sole; sic uxor à marito dignitatem, & potestatem suam, accipit, Cornelius hic.

Sub solis, & lunæ, typo videt patrem & matrem. Amicò federe curas partiri domesticas debent conjuges. Sicut sol diurno labori invigilans lunæ committit nocturnum penum; sic publicis, & externis rebus assidens maritus, domesticas uxori dirigendas confidat. Alvarez. Illustr. 48.

Matrimonium Sacramentum, quia repræsentat Christi Incarnationem. S. Vincent. Ferr. f. r. D. oculi.

§. II.

Origo, & causa.

Evæ creatio, ac Matrimonii institutio, facta est, ante Sabbathum die sexto, puta Veneris, quò creatus est Adam. Cornelius in c. 2. Gen. Simulatque Deo non obtemperaverunt, ac terra, cinisque, facti sunt; simul cum beata illa vivendi ratione virginitatis decus amiserunt; & una cum Deo semigravit ab eis castitas virginalis. Nam quamdiu à diaboli servitute liberi fuerunt, ac Dominum suum sunt veriti; fuit penes eos virginitas: quæ majori ipsis erat ornamento, quam sit diadema regibus, aut aurea vestimenta. Postea quam verò captivi fuerunt, & regiam ipsam exierunt stolam tunc unà successit connubium; mortale hoc, & servile vestimentum. Videtur, unde nuptiæ initium habuerint? à divini præcepti contempzione, ab execrationibus, à morte: siquidem ubi mors est, ibi nuptiæ commorantur. S. Chrysostr. l. de virginitate.

Dii si sunt immortales, & æterni, quid opus est altero sexu? cum successione non egeant, qui futuri sunt semper. Nam profectò in hominibus, ceterisque animantibus, diversitas sexus, & generatio, nullam habet aliam rationem: nisi ut omnia genera viventium, quando sunt conditione mortalitatis obitura, mutuà possint successione servari. Lactantius l. 1. de falsa relig.

Quia mors, idè & nuptiæ; & quia nuptiæ, idè & mors. Ibi autem morte abolitâ quis nuptiarum usus? nuptiæ enim auxilium vitæ mortalis; & impletio ejus, quod deficit: ubi autem nihil deficit, quid opus implete? Theophylactus in c. 20. Joann.

Polyanth. Sacr. Tom. II.

Morbi corporis maximè indicant necessarium esse matrimonium. Clemens Alex. l. 2. Strom.

Matrimonio haud opus habent, qui mortales non sunt. S. Joan. Damascen. l. 2. orthodox. fid. c. 3. Vide tit. Nuptiæ. Uxor.

§. III.

*Matrimonium ærumnosum.**Ex Veteri.*

Multiplicabo ærumnas tuas. Gen. 3. 16. Cur Dominus vix prægnantibus, & nati-ventibus Matth. 24. 19. cecinit, nisi quia filiorum impedimenta testatur in illa die expeditionis incommoda futura? tunc autem ad viduas non pertinebit: ad primam Angeli tubam expedite profolient. Tertullianus l. ad uxorem c. 5. Ex his collige, quàm molestum sit conjugatis mortis periculum; quàm expedita ad moriendum vita cœlebs. Virginibus conclamatur: *ecce sponsus venit!* unde tanta illarum celeritas? *tunc surrexerunt omnes virgines.* Sanè maritata, & difficiliter prægnantes, ad vocem Domini, non ita facile, & expedite, occurrissent. Ternandus in c. 3. Gen. Sect. 36.

Olim Patriarcharum matrimonia pleraque juxta fontes, aut aquis proxima loca, conflata. Gen. 24. 13. Oeconomus Abraham ait: *ecce ego sto propè fontem aque.* Sic Jacob Gen. 29. 10. Aquæ autem significant labores, ærumnas, persecutiones. S. Hieronymus l. 1. in Jovinianum, ait: in sepulchro, cui par conjugum illatum fuerat, hoc visum epitaphium: *Hospes miraculum! hic vir, & uxor, non litigant.* Didacus Nis. in Phœn. Græc. l. 3. c. 14.

Mortua est Sara. Gen. 23. 2. Deus à morte uxoris ulterius Abraham apparuisse non legitur. Rupertus in Gen. 35. l. 6. Cur conjugato toties apparuit? Licet habuerit uxorem probam; egebat tamen crebrâ Dei visitatione; ut ferret leviùs opera matrimonii; quibus sublatis ulterius Deus ei non apparuit: ut indicaretur; eum, qui sine uxore est, etiam absque ærumnis esse. Didacus Nis. D. 2. Epiph. §. 2.

Equitati meo assimilavi te. Cant. 1. & Religiosi equitatus Dei. Conjugati sunt velut pedites, qui pedes suorum affectuum terræ figunt, negotiis terrenis inhiant. de Ponte hic Exh. 21. §. 1.

Ex Novo.

Fugum meum suave est, & onus meum leve. Matth. 11. 30. Quòd si quæris; quomobrem antiqui duas, aut tres, habuerint uxores? discere diligenter, quòd magna tunc esset diaboli tyrannis, quam Christus ad nos profectus abolivit, multis demonibus è medio eliminatis. S. Anastasius q. 07. in Script. Lex Moscaica erat, difficilis: Act. 15. 10. *Neque patres nostri*

K 2

neg.